

05

A

1556



F. T. J. C.

TRIUMPHUS
NOV-ANTIQUUS

Quem

IN ACADEMIA WITTEBERGENSI

PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO

DN. M. JOHANN-ERNESTO

GERHARDO JENENSE,


Publice disquisitioni submittit

FRIEDERICUS SCHERERTZ

LUNÆBURGENSIS

ad d. XXII. JULII

H. L. Q. C.



Stanno JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.

ANNO M DC XLIX.

*Viro CLARISSIMO
Dn. Alberto Schulteto Schol. Johana. Ca-
rectori dignissimo Praeceptoris in Optimo
atateq; Reolendo officiose transmittit
Aator et Respono.*

L. J. C.
TRIUMPHUS
NOV. ANTIQVVS

IN ACADEMIA WITTEBERGENSI
P. R. RESIDE



05 A 1556

[Faint handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page]





JESU. CHRISTO. DEO-HOMINE. DUCE. NOSTRO.
OPT: MAX: QUI. DE. SATANA. OMNIBUSQVE.
HOSTIBUS, NOSTRIS. GLORIOSE. TRIUM-
PHAVIT, ANNUENTE.

DE Triumphis Veterum pariter ac recen-
tiorum brevem delineationem Philologico-
Historicam exhibitori amplissimam hanc no-
bilissimamque materiam paucis, quantum
assequi licebit, ita delibabimus, ut *nominis*
primò *originem*, postea *acceptiōnem vocabuli*
variā, deinde *diversas*, quibus *Triumphus* apud Latinos, Græcos,
Ebræos, aliosque *venit appellationes*, *Triumphorum* posthæc *ini-*
tia, quibus item apud Romanos fuerit *concessum triumphare*, qui-
bus deniq; *solemnitatibus ac ceremoniis* apud varios populos *trium-*
phi peracti, ex Historicis aliisque Autoribus proponamus.

DISSERTATIO I.

Origo vocis inquiritur. Diversa vocabuli acceptio.
Nomina varia. Primus hujus solemnitatis Autor.

In Origine hujus vocis Auctores ferè consentiunt omnes,
auresque VARRONI præbent, qui adserit (a) *Triumphare* inde
dictum esse, quòd *militēs olim Romani Triumphatorem in urbem*
comitantes, eundemq; in Capitolium deducentes, has subinde voces
repetere consueverint: JO TRIUMPHE, JO. sumto nomine à
primo solemnitatis hujus (sì PLINIO Historiæ Naturalis Se-
cretario (b) fides habenda) inventore, *Baccho* sc., qui Græco co-
gnomento *Θεῖαυβος* sive *Triumphator* fuit appellatus. Ita
autem vox hæc, sicut & inde deductum verbum *Triumphare* La-
tinis auribus arrisit, ut nullum propè vocabulum habeant, quo

(a) Lib. X.
de Ling. La-
tina

(b) Lib. VIII.
H. N. c. 2.

commodiùs pompam post obtentam victoriam expresserint, quàm hoc ipsum. Manavit inde ad alios populos, Gallos, Hispanos, Anglos &c. immò & Germanos quoq; qui suâ jam pridem id ipsum videntur donasse civitate, adeò quidem, ut nemo ferè sit inter Germanos civiliores, qui, quid hoc nominis notet, nesciat, cum non in Bibliis tantùm B. LUTHERI Germanicis legatur, verùm etiam in multis sacris reperiatur cantilenis. An verò jam hujusmodi voces è peregrinis in nostram jam dudum invecitæ, & in vulgus notæ, è Germanicâ Linguâ sint exterminandæ & exilio damnandæ, quod quibusdam placet, non est hujus loci dirimere: quemadmodum nec hoc, an rectiùs per F, an verò per PH sub finem in Germanicâ Linguâ scribatur; ut ut enim nonnulli Latinam hîc urgeant scriptionem, quæ per PH (adspiratione sc. ex primâ syllabâ in ultimam translata, ac C in P. mutata, quod Lexicographis nonnullis viderur) exhibet, non desunt tamen, qui regerant: *Unamquamq; Linguam suam propriam in scriptione quoq; retinere genium*, quemadmodum Itali & Hispani quoque non per PH, sed per F hi suum *Triunfo*, illi *Trionfo* sistant. Orientalibus nomen ferè nullum est, quò propriè ac unicè pompam hujusmodi post impetratam victoriam designent; Sunt, qui voce פָּרָה quæ *clamorem, cantum* &c. notat, vel etiam פָּרָהוּ, quod eandem significationem obtinet, Triumphum apud Ebræos denotari putant, *συνεδοχμῶς* sc., ut pars ponatur pro toto, sicut & B. LUTHERUS in vers. Germ. (c) *μὲν βοῶν* reddit: *Mit grossen Triumph*: Similis figura est, quæ per קָלָה & קָלָה Triumphus exprimi creditur, quia scilicet devicti hostes in Triumpho omnium ludibrio exponuntur, unde formula Comica: *VÆ VICTIS*, ut videre est in Pseudolo PLAUTI, (d) quæ & apud VARRO-
 (c) *Maccab. IV. 22.* NEM nota, Satyram enim suam tali formula inscripsit. Et hæc de nomine. Restat, ut de *Inventore primo* hujus pompæ pauca dicamus. Is BACCHUS à plerisq; creditur. testatur id ipsum quoad aliq. solenn. PLINIUS (e) dum inquit: *Ron e jan-
 eti* (sc. Eleph.) *primum subiere currum, Pompeji M. Africano Triumpho: quod prius Indiâ victâ de triumphante Libero Patre*
memo-

memoratur. Idcirco *Ἐπιαυβή* à DIODORO SICULO (f) (f) Lib. IV.
 vocatur *Ἐπιαυβή* quod *actinere* sive *acclamare* est, *καὶ* *ἰαυβή* *Antiq. Re-*
Ἐπιαυβή quod est *maledicere*: quia in bellicis Triumphis convitian- *rum c. 2.*
 res multis Anapestis uti consueverant, teste LILIO GIRALDO (g) (g) Synt. VIII.
 De Acclamatione verò nobis Autor est VARRO (h) vid. plura a *Hist. Deor.*
 pud PANCIROLL. (i) & luculentissimum ejus Commentatorem *b) l. c.*
 SALMUTHUM. (k) BACCHUM verò primum hujus rei Au- *i) Tit. LVII.*
 torem esse, PLINIUS disertis verbis (l) testatur: *Emerere, in-*
 quit, ac vendere instituit Liber pater. Idem Diadema Regum infi- *k) in Tit. cit.*
 gne, & Triumphum invenit. Sequitur nunc *l) Lib. VII.*
II. N. c. 56.

DISSERTATIO II.

Strictè apud Romanos primitus Triumphandi jus fuit observatum. Triumphus Major, & Minor. Vestis Triumphalis, Porta Triumph. &c.

Fuit certè Pompa ista Triumphalis magnum immò maxi-
 mum incitamentum ad belligerandum, tanta enim, ut elegante
 habet SALMUTH, (m) ex illa Triumphantium gloriâ & honore *m) loc. cit.*
 multorum animos cupiditas belligerandi incessit, ut spreto aureæ pacis
 bono bellum ei longè prætulere, & de propriis parùm solliciti aliena
 impensè affectarint. Maximus enim omnium honorum fuit
 Triumphus: pompa scil. illa solemnis, quæ fiebat redeuntibus
 in urbem cum victoriâ: Et quoniam hæc solemnitas rerum
 omnium militarium suprema gloria habebatur, ideò non pas-
 sim aut distinctè cui libet, apud Romanos præsertim, decerne-
 batur, sed certis legibus restringebatur. Strictè enim illos
 ipsos primitus triumphandi jus observasse, exinde cernere est,
 quòd nemini Triumphare concessum, nisi I. quinque hostium
 millia unâ acie superasset. Ne verò quis occurreret hîc dolus,
 Lege Catonis & Martii Tribb. plebis cautum fuit, poenâ cer-
 tâ statutâ illi, qui in relatione rerum à se gestarum mendacium
 committeret, quâ etiam de causâ Urbem ingressuri ac trium-
 phaturi, apud Quæstores urbanos pro iis, quæ per scriptum vel

epistolam retulerant, jurare cogebantur. II. non conservasset solū imperium, verū incrementum quoq; eidem attulisset.

n) vid. PLUTARCH. in vita Pompeji. III. Dictator, Prætor aut Consul victoriam obtinisset, (n) quam etiam ob rem L. Lentulo, quod Pro Consul saltem res benè gesserat, non triumphandi, sed ovandi honos concessus legitur. Singulare hinc factum tradunt Historici, quòd Cneus Pompejus Eques Romanus eâ ætate, quâ nondum Consulatum gerere fas erat, bis triumphaverit. IV. exercitum reportasset saluum, provinciamq; quâ in rem benè gesserat, successori reddidisset quietam & pacatam. Ut ut igitur quis res magnas feliciter peregisset, nisi honore aliquo s. Consulatus s. Dictatoris aut Prætoris simul, clueret, imperium auxisset, ac regiones tranquillas h. e. profus domitas successori tradidisset, triumphare illi haud fas erat: Qui legum tamen rigor posterioribus temporibus admodum remisit, ceu quamplurima apud Historicos exempla testantur. Ne verò illi, qui non tantam hostium stragem ediderant, præmio profus carerent, inde *Ovatio*, introducta, ut hinc secundum quorundam sententiam *Triumphus duplex: Major & Minor*. Hic dictus communiter *Ovatio*, Græcis *Ὀΰσις* *Θερίαυτος*, tunc enim victor non curru, sed pedibus (ut quidam volunt) in urbem præcessit pompam militum, fuitque hæc eorum, qui hostes absque sanguinis effusione fugassent, aut etiam inferioris conditionis homines, ut servos, vicissent. Primus talem egit Publ. Posthumius Tubertus Cos. secundus, de quo Historiæ Naturalis scriptor egregius PLINIUS (o) ita disserit: *Bellicis quoq; se rebus inseruit, triumphansq; de Sabinis Posthumius Tubertus in Consulatu, (qui primus omnium ovans urbem ingressus est, quoniam rem leviter sine cruore gesserat) myrto Veneris victricis coronatus incessit, aptabilemq; etiam arborem hostibus fecit. Ille verò honoratior fuit, tunc enim Victor regiâ sellâ curuli in urbem invectus est. De hoc duplici genere eleganter DION. HALICARNASS. (p) πρῶτον, inquit, Ὀΰσις Θερίαυτος ἔτιως ἀπὸ τῆς συμβεβηκότῃ ἐλέγετο, ὡς αὐτὸς τὴν εἰκάσω. καὶ ἐν πολλαῖς Ὀρίσκω γραφαῖς ὀπιχωρίαις φερόμενον. τότε πρῶτον, ὡς Δικίννι ἴσσορεῖ, ἔτι ἐξ Ὀρίσκου τὸν Θερίαυτον τῆς Ἑλλῆς. Νῆα-Φέρε*

o) Lib. XV. c. 29. H.N.

p) Lib. V. Antiq. Rom.

Φέρει ἢ ἑυτέρως, πρῶτον μὲν, ὅτι πεζὸς εἰσέρχεται μετὰ τῆς στρα-
 τίας προηγούμενος ὁ τὸν δάσην κατὰ γων θρίαμβον, ἀλλ' ὅτι
 ἐφ' ἄρμα, ὡς καὶ ἐκεῖνος ἐπειθ' ὅτι ἢ τὴν ποικίλην καὶ
 χρυσοσημὸν ἀμφιένυλαι σολήν, κοσμεῖται τήθεννον τὸ Ἰπικώριον
 πῶν ὑπάτων τε καὶ στρατηγῶν Φόρημα, σέφανον δ' ἐπίκειλαι δά-
 φνης, μεμείωλαι δὲ καὶ τὰ σκήπτρα τῆ Φορήσει ὡς τὸν ἔτερον,
 ταῖ δ' ἄλλα πάντα ταῦτα ἔχει. Hæc ille. Rebus etiam non-
 nullis certa à triumphî pompâ imposita videmus nomina, ut po-
 te, *Vestis Triumphalis*, quæ & *picata* aliàs dicitur, nam *Trium-
 phalem* & *picatam* idem esse, testatur ADRIAN. TURNEBUS
 (q) nec non sæpè citatus Historiæ Naturalis scriptor (r) Loqui-
 tur etiam de hac PLUTARCHUS dum inquit: (s) ἐν οἷς ἐοδῆται
 θριαμβικὴν ἔχων ἔπιπε. Solet quoque eadem, vocari *palmata*
 uti apud VALERIUM (t) de Metelli vanitate & insolentiâ, ubi
 memorat, *Metellum cum palmatâ veste convivium celebrasse*. Sic
Porta Triumphalis, per quam Triumphî acti Græcis θριαμβικὴν
 πύλην: Agit de tali SÆTONIUS (u) in vitâ Octavi Cæs. *Trium-
 phale Territorium* quoque legitur, Græcis θριαμβικὸς ἀγρός,
 ubi hodiè *Vaticanum* conditum esse dicitur. Ita & *Triumpha-
 les Cænas* legimus apud PLINIUM (x) is enim describens, qui-
 nam primus murænarum vivaria fecerit, ita caput inchoat:
Murænarum vivarium privatim excogitavit C. HIRIUS ante alios,
*qui cænis triumphalibus Cæsaris Dictatoris sex millia numero mura-
 narum mutuò appendit.* Triumphales etiam causas h. e. quæ de
 triumpho decernendo agebantur, apud SÆTONIUM (y) agnoscit
 TORRENTINUS. quem tamen locum aliter accipit
 CASAUBONUS. Sunt & alia nonnulla hujusmodi, quæ apud
 Lexicographos videri possunt. Nos progressum facimus ad
 ipsos triumphî ritus, apud diversos populos.

q) Lib. V. Ad-
vers. c. 9.

r) Lib.
XXVIII.

c. 23.

s) in vitis.

t) Lib. VIII.

c. 48.

u) lib. 2.

x) Lib. IX.

c. 55.

y) Lib. IV. in
vitâ CALIG.

DISSERTATIO III.

Ritus Triumphales Ebraeorum itemq; Græcorum.

Prælibatis hisce, Ritus ipsos considerabimus: Hos verò
 apud diversos populos diversos etiam interdum fuisse, satis ex
 Histo-

Historicis constat. Hebræorum, quantum ex Scripturâ S. colligere licet, hunc fuisse triumphandi morem, quodammodo perspicimus. *Nuncium ad Regem præmisisse Triumphatorem* vel belli ducem, rem qui benè gestam referret, ex II. SAM. XIX, 21, 27. 28. &c. patet. Dictos verò hosce nuncios fuisse Linguâ Hebr. מְבַשֵּׂר ex II. Sam. XIX. v. 26. è radice Chald. quoq; Syr. & Arab. communi בִּשְׂרָנunciavit rem bonam, letam vid. II. Sam. XIX. Esa. LXI. 1. Joh. XX, 18. Matth. XI, 5. cui Græcum Καταλιζειν ac nomen Καταλιζης respondet (quamvis idem Hebræum מְבַשֵּׂר aliquando etiam pro eo, qui rem tristem nunciat, accipiatur, ceu patet ex I. Sam. IV, 17) videre est, num verò literas simul portaverit secum, quales apud Romanos, *vitricæ* dictas, in urbem mittere moris erat, si non incertum, sanè perquàm dubium. Id verò ex II. Sam. XIX, 3. liquet, *Triumphatorem cum exercitu triumphante urbem ingredi* consuevisse, iniquè enim tulit JOAB, summus belli Dux, Regem querelis suis effecisse, ne, more ut putamus solito, triumphus læto populi ingressu celebraretur. *Captivos quoque insigniores secum duxisse Triumphatorem* (sive quis Victorem malit, nos enim in laxiori voce istà hîc utimur significatione) è Gen. XIV, 12. & Num. XXXI, 12 & 17. quodammodo liquet *Prædam* verò victoriosus exercitus secum ferebat, imprimis *arma insigniora* ab hostibus impetrata *publicè fuisse ostensa*, è I. Sam. XVII, 54. quodammodo cernimus. *Templis* deniq; illa ipsa fuisse *consecrata* partim memorię constantis, partim etiam gratitudinis erga Numen, utpote cujus solius favore res omnis ex voto gereretur, testandæ causâ, manifestè Scriptura S. testatur. vid. I. Sam. XXI, 9. Judith. cap. XVI, 23. immò & *primarii Captivi* post victoriam *suspendebantur* Jos. VIII, 29. capitaque illorum amputata in publico spectaculo conspicienda præbebantur, sicuti de Davide legimus, quòd Goliathi caput abscissum secum abstulerit I. Sam. XVII, 54. Corpora etiam ignominiâ afficere jam tum demortua non erubescabant Philistæi. Vid. I. Sam. XXXI, 10. Illius verò illustre admodùm exemplum Historia Saulis ac Davidis, utriusque præclari Triumphatoris testatur, urbem in-

tran-

trantibus Triumphatoribus populum, præsertim mulieres in occur-
 sum venisse, Musicâ ac choreis plaudentem, voce ac cantu res
 præclarè gestas celebrantem, Consule I. Sam. XII, 6, 7. Non
 immeritò huc referimus, quòd trucidato Holoferne Sacerdos
 summus & reliquis sacerdotum ordo universus Juditham
 accesserint, illi que præclarum cecinerint carmen Triumpale,
 quo in ipsam celebrant ὕψωμα ἱερουσαλήμ, γαυρία μέγα &
 ἰσραήλ, κἀύχημα μέγα & γένος αὐτῶν &c. DEO cum primis
 utpote Triumpho Auctori sanctissimo *paana* publicè canere pie-
 tas suadebat. Ita Israelitas submersis Ægyptiis cecinisse ex
 Exod. XV, 1. discimus. in Debora & Barako similem perspiciamus
 devotionem Jud. V, 1. *Votum*, si summus belli Dux populus-
 ve fecisset, sanctè exsolvebatur, uti ex Numerorum XXI, 2. 3.
 Judicum XI, 35, 36. adparet. *Prædam* Triumpho peracto exer-
 citum victoriosum *divisisse*, ex Libro JUDITH constat, ubi
 commemoratur, quòd fuis fugatisque Assyriis triginta die-
 bus populus Israeliticus prædâ dividendâ fuerit occupatus vid.
 Cap. XV, Jud. vers. 13. Aliter sese res habuit in bellis, ut vo-
 cant *Legalibus*, in quibus juxta mandatum divinum *omne vivens*
occidere, omniaque bona mobilia concremare jubebantur. In reliquis
 verò bellis, *quæ spontanea dici consueverunt*, ingentem capti-
 vorum copiam triumphans secum ducebat exercitus. Mulier-
 culas cum primis, quas ipsas tamen cum ignominia causâ, tum
 etiam ne Populus Israeliticus illicito amore erga eas allicere-
 tur, in primis tamen luctus causâ, quòd Patrem vel matrem
 amittere fuerint coactæ, quemadmodum eleganter & prolixè
 hoc deducit CL. SCHICKARDUS (a) variè deturpare lex jube-
 bat. Cogebantur enim *captivæ istæ mulieres abscindere crines,*
ungues vicissim alere, (vel quod alii malunt, cum quibus etiam
 B. LUTHERUS facit, *circumcidere*, quod itidem luctus indi-
 cium fuisse, BONFRERIUS (b) existimat) vestimenta sumere
 lugubria, ac patrios deflere lares, ceu legere est Deut. XXI, 12, 13.
Trophæa denique fuisse *erecta* è I Sam. XV, 1, 2, constat. Et hæc
 sufficiant de ritibus Hebræorum. Græcos quod attinet, hi

a) in jure
 Reg. Ebr.
 p. 130. & seqq.

b) Comment.
 ad Deut.
 XXI. v. 12.

e) in Ejus vi-
ta.

d) in vitâ
C. abria.

e) in Ejus
vitâ.

utut prudentiâ pariter ac fortitudine reliquis gentibus haut in-
feriores, multiq̄ue apud eos Imperatores belligerandi peritiâ
non incelebres & victoriis clarissimi, exigua tamen triumpho-
rum insigniorum apud eos indicia. Quem enim later Mil-
tiadis, quâ in Lemniis subjiciendis usus fuit, prudentia sum-
ma cum felicitate pari conjuncta? quæ non minor ejusdem
in prælio contra Persas fortitudo, quæ tanta fuit, ut Athenien-
ses illo duce decuplicem hostium numerum profligarent? Quod non Pausaniæ virtus designavit, qui haut ita magnâ ma-
nu prudentissimum Persarum ducem cum ducentis millibus
peditum & viginti millibus equitum fugavit? Quod non
Thrasibulus patriæ amore, fide, constantiâ, animiq̄ue magnitu-
dine nulli secundus Atheniensibus præstitit? Quod non The-
mistocles ausus fuit? Quæ verò his inde erecta trophæa? qui de-
creti triumpho? De solo Datame memorat CORN. NEPOS (c)
quòd insigni cruentoq̄ue prælio cum Autophradate feliciter
commisso (quò in tamen Autoph. vicesimâ militum parte su-
perior illi fuerat) Trophæum postero die posuerit, quo loco pri-
die pugnatum. Major hâc gloriâ an forsan illa, quòd *imagi-
nes Imperatorum*, qui Patriam liberassent, in Porticu, quæ Pœ-
cile vocata, Athenienses pingendas curârunt? *statuam* etiam in-
terdum victoribus fuisse *positam*, è CORN. NEPOTE (d) patet.
Fuit & alius quoq̄ue honor victoribus quandoq̄ue habitus, ut si
in prælio concidissent, *coronis aureis statuisq̄. aneis* illos dona-
rent defunctos, sicuti id ipsum Thessaliæ civitates Pelopidæ for-
tissimo duci præstitisse, sæpè laudatus NEPOS memoriæ pro-
didit (e). Quâ verò solennitate *pradam* urbi intulerint, quâ
itidem *pompâ victores urbem ingressi*, nondum nobis accuratè
constat. De Alcibiade quidem ex CORNEL. nostro discimus,
quòd, cum re feliciter gestâ splendidaq̄ue prædâ ab hostibus im-
petratâ cum Collegis suis Athenas venisset, prædâ onustus & lo-
cupletato exercitu, universa civitas in Pyræum descenderit,
tanta ejus expectatione & videndi cupiditate, ut ad ejus trire-
mem vulgus confluerit. Quo verò ordine sive hic, sive alii
victores urbem introducti, non prodit PROBUS. Cum prædâ
verò

verò non semper modo actum eodem: nam exercitui aliquando illa distribuebatur, aliquando *erario inferebatur publico*, pars etiam h. e. insigniora arma arcibus ad ornatum inferebatur: eeu non uno exemplo, si chartæ pateretur angustia ostendi posset. Unicum saltem addendum, quòd Thrasybulo pro maximis meritis ac Trophæi loco honoris ergò à populo Atheniensis *corona data*, facta è duabus virgulis oleaginis, quæ quòd amor civium, non vis expresserat, nullam habuit individiam, magnæq; fuit gloria.

DISSERTATIO IV.

Ritus Romanorum, Germanorum Veterum & Recentiorum, item Turcorum.

Magnum cum primis apud Romanos præ reliquis populis triumphandi fuisse honorem & pompam splendidissimam, notius est, quàm ut demonstrari debeat. Lubido hinc esset præcipua saltim curiosiori adspicere oculo, Historicorumque firmare auctoritatibus, nisi jam tum ante nos abundè id ipsum præstitissent Rerum Romanarum promi condi fidelissimi, ROSINUM dico & GUIDONEM PANCIROLLAM, quibus omninò addendi DEMPSTERUS notis ad priorem, & FRANCISCUS MODIUS in peculiari libro de Triumphis, ad quos rerum harum cupidum remittimus. Nobis, qui brevi *οκταγέ-* *Οία* totius interdum diei, aliquando & ampliùs, sistere possumus spectaculum, jam nunc curæ est. Triumphum igitur celebraturus litteras primùm victoriæ nuntias, unde CICERONI (f) *Victrices* dictæ, lauro devinctas, quâ de causâ MARCELLINO *laureata*, ad Senatum mittebat, quarum solemne erat exordium: *Si vos liberiq; vestri valetis, benè est; ego exercitusq; valemus.* Urbem verò proximè accedens apud *Quæstores* urbanos jurare cogebatur pro iis, quæ retulerat. Quâ re factâ triumphus instituebatur. Cujus primam classem *tubicines* constituebant, quibus succenturiati nonnulli fertis redimiti, qui currus spoliis diversi generis onustos comitabantur, proximè sequeban-

f) Lib. V.
ad Attic. Ep.
16.

g) Lib. VIII.
H.N.c.2.

h) Ep. I. Le-
gat. Turc.
pag. m. 77.

tur, qui *lignas turres*, captarum videl. urbium simulacra, ho-
stium item arma, tela, scuta, signa, aurum denique & argentum,
partim factum, partim infectum, vasa item aurea & argentea,
nummos Philippeos, varii generis coronas, murales, valla-
res &c. quas virtutis testes urbes dederant, gerebant. *Albi* post
hos deducebantur *boves*, sacrificio destinati, & *Elephanti*. *Devi-*
ctorum tunc *hostiam Principes ac Duces*, suis ac majorum factis
claros, cernere erat captivos. His *victor* imminebat trium-
phans, quem tamen *Lictores* anteibant, purpureis fulgentes ve-
stimentis, quibus *citharædorum ac tibicinum* interjecta turba.
Succincti hi erant *coronisq; redimiti* aureis, certo tamen quisque
incedens ordine ac psallens, mediusque talari veste fimbriis ar-
millisque auro splendentibus amictus, varios edebat gestus,
quibus devictis hostibus insultans risus undique excitabat. Pro-
ximè ab Imperatoris curru triumphali aberant *thurigeri*, qui o-
dorum suavissimorum fragrantiam gratum Imperatoris Trium-
phantis adventum reddebant, vel ipsum quoque Imperatorem
recreabant. Triumphator tunc cernebatur, *curru* vectus ad-
modum splendido ac deaurato, sed duarum saltem rotarum.
trahebant hunc *equi* quatuor candidi, immò & *tauri* quandoque,
coloris prædicti. Pompeji currum Africo triumpho *Elephan-*
tos traxisse, à PLINIO (g) memoriæ proditum. Sic Gordiano
etiam Persis devictis *Elephantorum decreta quadrigæ*. Quid
quod & *cervi* ab Aureliano adhibiti. Curru verò non victor
tantum vehebatur ipse, sed & liberi interdum ac cognati. *Ve-*
stis, quâ triumphator indui solebat, purpurea erat, *aureis inter-*
texta sideribus, vel etiam *palmis* (palma enim victoriæ signum)
unde & *palmata* dicta. *Coronam* capite gerebat auream, gem-
mis fulgentem. Manu alterâ *laurum* ostendebat: alterâ, sini-
strâ nempe, *eburneum* tenebat *sceptrum*. Pulchriorem verò quò
de se spargeret formam ac splendorem, *faciem*, manus, totum-
que adeò corpus *minio* illiniebat (quâ in parte quodammodo illi
sefe adsimilare Turcarum Imperator aliquando solet, teste
BUSBEQVIO (b)) *Annulum* denique etiam Triumphatori ad-
signant

signant PLINIUS & alii. à tergo in triumphali curru *seruus* con-
 spiciebatur publicus, qui coronam auream magni ponderis &
 amplitudinis sustinebat, & simul attendere Triumphantem
 jubebat ad ultimi supplicii instrumenta, curru appensa.
 Post curram denique triumphalem *stiparorum* effundebatur mo-
 les *scutiferorumq;* copia non exigua. & demum *exercitus* seque-
 batur ipse, in turmas aciesq; pulcherrimè distinctus. nec milites
 tantùm incedebant distincti, sed & benè ornati, *laurusq;* partim
 redimiti, partim manu ramos gerentes lauros, victoriæ namq;
laurus signum. Summam verò horum fuisse in *pompâ* italiciæ
 exinde cernimus, quòd cuilibet tunc fas fuisse Historici pro-
 dunt, commata in Imperatorem triumphantem projicere.
 Locus denique, quo triumphator ducebatur, ordinarius Romæ
 Capitolium erat. Ad hoc cum de foro currus deflecteret, *ca-*
ptivi Daces in carcerem ducebantur ac morte pledebantur, ut idem
 sc. dies victoribus populoque Romano gaudii, de victis verò ho-
 stibus luctûs præberet materiam. *Convivium* inde à Triumpha-
 tore Amicis adornabatur splendidum, *militibusq;* præmii loco
militaria dona, ut aurum, argentum, æs, coronæ, torques, sagæ,
 tunicæ, &c. *dabantur*. Quæ singula adductis probatorum Au-
 ctorum verbis confirmare possemus, nisi chartæ prohiberet an-
 gustia. quapropter lectorem harum rerum cupidum ablega-
 mus ad Auctores suprâ allegatos. Majores nostros priscos
 Germanos si spectamus, Triumphus illorum non tam magnifi-
 centiam, ac splendorem externum, quàm truculentiam præ se
 tulisse videtur. Ut enim haud pauci prædæ magis impe-
 trandæ, quàm gloriæ acquirendæ causâ prælium inirent, usque
 adeò ut *prædæ cupido* apud inferioris conditionis milites sæpiu-
 sculè hostibus victis prodesset, quod non obscure innuunt DIO
 (i) & TACITUS (k) cujusque rei exempla adhuc hodiè passim
 obvia: generosioris tamen qui erant indolis, laudem in cæso-
 rum hostium multitudine, ac dignitate quærebant. *Capita*
horum detruncata victoriæ signa ac quasi trophæa lanceis infixæ,
 vel de equorum collo suspensa ostentabant, teste DIODORO (l) id
 quod

i) Lib. V. de
 clade Varia-
 nâ.

k) Lib. I. An-
 naliûm.

l) Lib. V.

m) Lib. X.

n) Lib. II.
Ann.

o) Lib. V.

p) Lib. I.
Annal.

q) Lib. IV.

quod de Gallis etiam LIVIUS, (m) tradit. ac de Turcis etiam memoratur, quod Christianorum Ducum occisorum capita hastis infixâ publicè in triumpho præ se ferant; majoris ab illis hæc manubiæ trophæaque æstimata, quàm aucta stipendia, torques & coronæ aliaque militaria dona, quæ fortiter Arminius irrisit, apud CORNEL. (n) Domum verò reversi ac triumpho peracto quid manubiis istis majores nostri fecerint, auditu sanè ridiculum: *Viliorum nempè hostium capita*, non secus ac apud nos ferarum quandoque, *edium vestibulis præfigebant*: ita enim expressè DIOD. SICULUS (o) *Ἀρεθῖνια ταῦτα ταῖς οἰκίαις προσηλθόν ὡς εἰς ἐν κυνηγίαις ποτὶ κεχαρῶν ἡρία.* immò & *arborum truncis adfigebant*, teste TACITO (p) *Nobilissimorum verò hostium capita quanti æstimarint cùm Galli, tum nostri Majores, juxtâ cum allegato DIODORO tradit clarissimè Geographorum facilè princeps STRABO (q) Sed placet ipsum audire DIODORUM: Τῶν ὀπιφανεστάτων πολεμίων, inquit, κεδρώσαντες τὰς κεφαλὰς, ὀπιμελῶς τηρῶσιν ἐν λάρνακι καὶ τοῖς ξένοις ὀπιδεικνύουσι σεμνυόμενοι διότι τῆς δὲ κεφαλῆς τῶν προσόντων ἢ ἢ πατὴρ ἢ καὶ αὐτὸς πολλὰ χεῖματα διδόμενα ὄσα ἔλαβε. Φασὶ δὲ τινὰς αὐτῶν καυχῆσασθαι διὸ χεῖσον αὐτίσαθμον τῆς κεφαλῆς ὄσα ἐδέξαντο βάρβαρον ἕνα μεγαλοψυχίαν ὀπιδεικνύμενοι.* E quibus patet, quàm laudis etiam in temporum istorum barbarie majores nostri fuerint avidi: An verò munera etiam hæc Amasis suis obtulerint, quod *Cassres* Indiae populos in Mossambique cum suis spoliis facere dicuntur, nos latet: Memorat de his JOHANNES HUGO LINSCHOTANUS, qui regionem dictam sedulo non minùs descripsit, quàm perlustravit, quod *virilia membra, quæ in praeliis hostibus tum captis, tum occisis abscindere solent, atq; arte facta summo belli Duci seu Regi etiam cognoscenda ac probanda* (pudet referre) ore præbere (quod id ipsum. expressis verbis legere est in edit. *Emtrum de Bry*) *trajecta per superiorem partem chordæ innectant, monilia ex illis sic conficiant, sponsisq; suis ceu singularem ornatum gestanda donent, quibus ille ornamentis exulta mirè sibi placeant ac superbiant.* Sed ad Germa.

Germanos nostros redeundum, videndumque, quid cum *vivis*
hostibus captis (non enim omnium, sed illorum saltem, qui ca-
 pi aliàs haut potuerunt, nisi occiderentur, capita amputa-
 ta in triumpho monstrasse, credibile est) agant. In Trium-
 pho autem illos ipsos *vinculis constrictos* fuisse ductos, ex TACI-
 TI ANNAL. (r) colligi posse videtur. Horum verò aliquos
 statim pugna ex voto confecta *ad aras* è cespite viridi constru-
 ctas Martique ac Mercurio consecratas *maclabant*, uti testatur,
 C. A. (s) alios suspendebant, ceu ex TACITO (t) liquet: coeteros
 verò duræ *mancipabant* *servituti*, quo & SENECA collimare vi-
 detur, quando in epistol. *Varianâ clade quàm multos splendidissi-*
mè natos, Senatorium per militiam auspicientes gradum fortuna de-
pressit? alium ex illis pastorem, alium custodem case fecit. Reli-
 quam *pradam* sanguine adhuc pollutam famulis præ se in trium-
 pho ferendam dabant, teste DIODORO (u). An verò post-
 modum concremarint, quod Annibalem Poenorem Ducem in
 Italiâ fecisse, è SILIO (x) liquet, & apud Romanos etiam cum
 prædæ parte aliquâ factum, EUMENIUS (y) & LIVIUS (z) te-
 stantur, nobis non constat: De Gallis quidem CÆSAR (a)
 prodit, quòd ea, quæ bello capere devoveant, animalia verò *capta im-*
molent, cum quo etiam consentit LIVIUS (b) Majores nostros
 idem cum animalibus quandoque observasse voto facto, è TA-
 CITO (c) cernere est. Hodierno Germanorum ritu *præda* vix
 ostenditur publicè alia, (cùm, ut olim apud eosdem, ita & nunc,
 quod quisque privatus adsequitur, id etiam retineat, nec nisi
 pretiosiora Ducibus s. Generalibus cedant) quàm *tormenta majo-*
ra, itemque *vexilla*, ab hostibus impetrata, quæ vel armamen-
 tariis inferunt, vel tormentis etiam ampliùs adversus hostes u-
 tuntur. Pax ubi pacta, *vexilla* quandoque redduntur, cu-
 jus rei illustre exemplum nuper habuimus in amicâ illâ trans-
 actione Landgraviorum Hassiæ, lineæ Darmstad. & Casselanæ,
 Serenissimi Ducis Saxonie ERNESTI interventu feliciter con-
 fecta. Majores verò nostri *signa* ab hostibus impetrata *DIIS*
suis patriis consecrabant, inque lucis suspendebant, sicuti constat
 è Ora-

r) Lib. II.

s) Lib. I. &
XIII. Ann.

t) Lib. I. Ann.

u) Lib. V.

x) Lib. X.

y) in Panegy-
rico.

z) Lib. III.
VIII. & X.

a) Lib. VI.
belli Gallici.

b) Lib. V.

c) Lib. XIII.
Ann.

d) Lib. I. Ann.
edit. Box-
horn. p. 34.

e) Lib. I. Ann.

f) Lib. XII.
Ann.

g) Lib. I. Ann.

è gravi Oratione ARMINII fortissimi Germanorum Ducis,
quam legere licet apud TACITUM (d): Sic memorat idem
scriptor, quòd undevicesima Legionis aquilam cum VARO amissam
inter caedem & prædam rursus repererit L. Stettinius inter Bruete-
ros. Hostibus verò captis, imprimis nobilioribus quid ho-
diè agatur, nemini non notum: vivi enim, vel Amicorum si-
militer captorum permutatione, vel certâ pecuniæ summa (Gal-
lico vocabulo quam *rancion* vocant) liberantur, ac tempus,
quod inter hostes vivunt, sat experiuntur tolerabile. Id quod
Germanæ hodiernæ mansuetudinis exemplum singulare. im-
mò perquam splendidè pro cuiusque dignitate tractantur,
nec equorum etiam usus belli Ducibus captis denegatur; Oc-
cisi verò hostes parti adversæ sine aliquâ querimoniâ facileque
redduntur honestè sepeliendi, cum Majores nostri hostium
corpora planè insepulta relinquerent, uti testatur TACITUS.
(e) *Victimarum* verò loco hodiè apud Christianos publicæ DEO
supremo belli Duci ac Servatori Opt. Max. offeruntur preces,
inque munitis locis tormenta majora certatim resonant. ho-
rum siquidem, sicuti & minorum s. bombardarum sonus publi-
co militum apud Romanos, nostrosque Majores clamori ac
plausu victorioso respondere, à multis creditur. *Festum*
verò illum diem, quo hostis erat fugatus prædaque impetrata
insignis, *habebant* nostri Majores, teste sæpius cit. TACITO (f)
*strenuèque genio indulgebant, festis epulis, lato cantu, aut truci sono-
re*, ut TACITI habent verba (g) quem morem num &, hodiè
observent, pugnâ ex voto confectâ, nostri Germani, non opus
est multis differere. *Trophæa* verò pomposa Germani priscei
non magni curabant, immò prorsus negligebant, censentes
gloria per hoc nihil detrabi: mansuram verò memoriam victoria,
quæ perpetua esset: ipsa Trophæa & atate & tempestatibus consumi:
*bellum suscipiendum fuisse pro Conjugibus, pro liberis, quæ plena pru-
dentia verba Gallionis, quibus Atheniensibus persuadere est co-
natus, ut trophæa Persica tollerent, omninò & jure optimo ad
Majores nostros referri possunt.* De aliarum quoque gen-
tium

tium Triumphis subjicienda etiam nonnulla essent, inprimis operæ pretium esset Turcarum de Hispanis impetratæ victoriæ triumphum adspicere. Tam elegantibus verò verbis istum, in re tam tristi Eruditissimus Nobilissimusque ad portam Othomanicam Legatus Imperatoris Romani, AUGERIUS BUSBEQUIUS describit, ut pictor melius exprimere vel repræsentare vix possit. Verùm cum chartæ angustia id non permittat, remittimus harum rerum cupidos ad laudatum egregium Oratorem (b).

b) Ep. IV. Legat. Turc.

DISSERTATIO ULT.

Donaria de prædâ Numini suspensa.

DIIS immortalibus, utpote victoriarum Largitoribus insigniora quædam de spoliis consecrari, inque illorum Templis suspendi (unde & *αιαθουατα* Græcis dicta) consuevisse, apud omnes propè populos invenimus. De Victoria illa eximîâ, quam David à Goliado stupendo isto homine reportavit, legimus, quòd *caput Pelistai secum Hierusalem adduxerit, ejusq; vas in tabernaculo suo posuerit. Gladium* verò postmodum (num. solemnitate aliquâ peculiari, non exprimitur) in *Templum* Nobæ fuisse repositum, pannoque involutum, è Cap. XXI, 9. Libri Prioris Sam. cernere est. De Romanis, Orbis domitoribus quis nescit, plurima illos anathemata DEORUM templis intulisse. De quibus prolixè videantur ROSINIUS, DEMSTERUS, GUID. PANCIR. & alii. De Græcis idem è CORN. NEPOTE constat, qui in Pausaniâ tradit, quòd ex prædâ in prælio apud Plataas commisso obtentâ *tripodem aureum Delphis* posuerit epigrammate scripto, in quo hæc fuit sententiâ: *suo ductu Barbaros apud Plataas esse deletos, ejusq; victoria ergò Apollini donum dedisse.* quos tamen versus Lacedæmonii exsculperint, nihilque aliud scripserint, quàm nomina earum civitatum, quarum auxilio Persæ erant victi. Sic apud Germanos quoque *vexilla* quædam *templis* dedicari solent. Visitur tale, uti memoratur

C

ratur

ratur, satis splendidum cum inscripto symb. EXURGE CHRISTE ET JUDICA CAUSSAM TUAM, Lugduni Templo urbis suspensum in laqueari chori, quod Vice Amiralis Ordinum Belg. Foeder. PETRUS VERDOEHIUS post devictam ex classe Hispanicâ navem illuc dedicavit. Hodie verò *armamentariis*, ceu Dresdæ videre est, *vexilla devictorum hostium illarum* ibique suspensa cernimus, quibus etiam tormenta addita insigniora, Triumphique quippe, victoriæque signa perpetua futura. Turcæ tamen diverso ab hoc modo, tempestatum injuriis hujusmodi ab hostibus devictis adepta Triumphique signa exponunt, vel aliàs turpiter habent, in majorem sc. hostium ignominiam. Ita rerum Turcicarum peritissimus, Nobilissimus AUGERIUS GISLENIUS BUSBEQVIUS, feliciori omninò morte dignus, memorat, quòd *potitâ de Hispanis in Meninge Insula (quam Gerbas nunc salutât) victoriâ, illius victoriæ triremem nunciam Turcarum Ammiralis PIHALIUS BASSA Constantinopolim miserit, quæ ut apertius profiteretur, quid ferret, ingens vexillum (in quo CHRISTI Salvatoris crucis adfixi imaginem depictam fuisse, Turcæ BUSBEQVIO retulerunt) à puppi per fluxus traxit.* Reliqua etiam *vexilla* ab hostibus impetrata Turcas non magnificere, ex ejusdem BUSBEQ. quam mox subjungit, relatione patet. Meminit enim Turcæ cujusdam primorum ordinum in expeditione illâ Ductoris, sibi que notæ, cujus cum in manus incidisset *signum primum* sc. *regium triremem Neapolitanarum* (quod omnium Hispaniæ Regum Provinciarum in complexu imperialis aquilæ insignia exhibebat) illudque SULEIMANO offerre vellet, refert laudatus BUSBEQVIUS l. c. quòd duarum vestium sericarum munere vexillum illud primarium à Ductore isto nò difficulter impetraverit, sicq; prospexerit, ne Clarissima CAROLI V. insignia ad æternam ejus cladis memoriam apud hostes remanerent. De *tormentis* etiam Turcarum, ab hostibus Christianis nactis, restis *αυτόπληγς* nobis adest JACOBUS BREUNING DE BUCHENBACH. is in Itiner. (k) commemorat, tormenta Christianorum ac mortaria bellica, Principum, Imperat. Romani, Regis

k) Lib. I. cap.
XXVII,
p. 93.

Regis Gall. & Hispaniæ, itemque Reipubl. Venetæ insignibus notata, ab iisdemque prælio impetrata, sine ordine in Christiani nominis contemptum sub dio juxta portum *Ceratini sinus* è regione *Palatii Imp. Turcici Constantinopoli* conspici. Longo diverso à Christianis Regibus & Magnatibus more, qui hujusmodi spolia propriis armamentariis inferunt, ac ceu illustra victoriæ monumenta inibi asservant. Tantum de his.

Jam de cœlesti quoque illo ac spiritali, quem CHRISTUS de Diabolo ac Satanicis potestatibus egit, triumpho, dicendum esset. Satis verò graphicè illum depingit Apostolorum sidus & vas illud DEI electum D. Paulus his verbis: ἀναβάς εἰς ὑψ. Ⓞ, ἠχμαλώτησεν αἰχμαλωσίαν, καὶ ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις. Eph. IV. 8. & Coloss. II. 15. ἀπεκδυσάμην τὰς δεχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας ἐδειγματίσεν ἐν παρρησίᾳ θραυβόσας αὐτὰς ἐν αὐτῷ. Verùm cum chartæ nunc angustia obstet, ac insuper sat hunc ipsum prolixè è dictis locis tum aliis quoque Scripturæ dictis eruerit, ac cum Romanorum triumphis contulerit Eximius atque de Ecclesia Christianâ meritissimus Theologus D. JOHANNES GERHARDUS (1) nolumus actum a-

gere. Quin potiùs læti Triumphatori nostro æterno, ac Servatori Opt. Max. accinimus Triumphale: Ἄρτι ἐγένετ' ἡ σωτηρία καὶ ἡ δυνάμις καὶ ἡ βασιλεία τῆς Θεοῦ ἡμῶν, καὶ ἡ ἐξουσία τῆς Χριστοῦ αὐτοῦ &c. χαίρωμεν καὶ αγαλλιώμεθα, καὶ δῶμεν τὴν δόξαν αὐτῷ. ex Apoc. cap. XII, 10. & C. XIX, 7. at-

que ita Dissertatiunculis hisce imponimus
F I N E M.

1) Hom.
 Sacr.
 part. II.
 p. 99.



Ad
Præstantissimum
DN. RESPONDENTEM.

Semper triumphæ de Triumpho differens
Virtute SCHERERTZI atque literis bonis.

Augustus Buchnerus.



Virtutibus qui præditus, rectissime
Demum triumphat, pensita
Id, de Triumpho disputans, Doctissime
SCHERERTZ: stude Virtutibus
Porro; triumphus est Tibi certissimus,
Honor sequetur optimus.

Id quod ex animo suo perdilecto vovet

M. Petrus Ernestus Tveibomius.



GRaji, Romulidæ quantis fulsere triumphis,
Teuto, Dardanidæ, queis ni tuere, doces.
Dumque triumphorum sic audis præco venustus,
Fers meritò titulis digna trophæa tuis.
Digna trophæa feres, modò pergas esse quod audis,
Maeste, Patris pergas æmulus esse pius.
Etsic eveniant vota uberiora precantis;
Gratulor ut studiis, suavis amice, tuis.

Gratul. Amico suo suavissimo apposuit

Fridericus Brunken /
Oldenb. Frisius.

05 A 1556


ULB Halle 3
003 779 408



V3176d1







F. T. J. C.

TRIUMPHUS NOV-ANTIQUUS

Quem

IN ACADEMIA WITTEBERGENSI

PRÆSIDE
VIRO CLARISSIMO

I. M. JOHANN-ERNESTO
GERHARDO JENENSE,

Publicæ disquisitioni submittit

FRIEDERICUS SCHERERTZ

LUNÆBURGENSIS

ad d. XXII. JULII

H. L. Q. C.

Stanno JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.
ANNO M DC XLIIX.

*Viro CLARISSIMO
Alberto Schulteto Schol. Joham. Cr-
ori dignissimo Praeceptoris no Optimo
etateq; recolendo officiose transmittit
Auctor et Respon.*

